

tempore fuit corruptissimus, putantque, vitia de quibus Habakuk conquestus est, non Josiæ, piissimi regis, sed Manassis tempore invaluisse. Respondemus vero, vitia, quæ redarguit Habakuk tempore Joachazi, & Jojakimi, impiorum regum, etiam Jeremiam eodem tempore exprobrasse, uti supra §. 4. seqq. vidimus,

§. 7.

Prostat alia Judæorum traditio, quæ Habakukum Danieli coætaneum fuisse, eiq; in foveam leonum conjecto cibum apportasse refert. Extat illa in Athanasii Synopsi & Stichometria Nicephori, Hieronymus quoque in præfatione in Daniele ejusdem traditionis mentionem facit, eamque pro fabula habet. *Eusebius (inquit) & Appollinarius pari sententia responderunt, Susanna, Belisque & Draconis fabulas non contineri in Hebraico, sed partem esse Prophetiæ Habakuk filii Jesu de tribu Levi, sicut juxta LXX, interpretes in titulo ejusdem Belis fabule ponitur.* Legitur illa in Græco Dan. XIV. 32. seqq. Unde in canticum Germanicum translata, sed in quibusdam libellis mutata est.

§. 8.

Hæc narratio a B. Luthero, aliisque Theologis pluribus pro fabula habetur, quorum sententiæ lubenter nostrum addimus calculum, ut vero fabulæ suam habent absconditam significationem, sic etiam nostram non frustra, sed certo cum scopo inventam, & docendi gratia propositam esse existimo. Hujus sententiæ rationem invenimus in Bresch. R. sect. 68. fol. 77. col. c. ubi eadem draconis fabula, paucioribus & variantibus qui-

qui-